

Letter 512: 27 June 1533, Basel, Oswald Myconius to Capito

The manuscript of this letter is in Zurich ZB F 81, f. 332; it is printed in QGT 8:99–100, no. 397.

S. Quod non responderis ad literas quas per Phrygionem misi, divinare non possum, nisi fortassis putasti, hunc ut aliarum rerum, sic etiam eius, quam petieram ego, vivam epistolam futurum, oblitus quod de hac nihil nosse poterat, cum nihil commisisses. Dum est otium igitur, adhuc respondeas velim. De haeresibus, quas isthic fovetis, libet verbum dicere. Non mirum esset, si nobis evangelium omne et nos cum evangelio periremus, nec dubito quin aliquid sit futurum, nisi per nostros caveatur. Mundus enim, ubi comperiet quid subnascatur, dum divinarum rerum lectio patet communiter omnibus, doctis, inquam, et indoctis, considerabit deinde, quam foedus ac pestilens in prophanis quibusdam fructus erumpat, num mirum esset, si sic cogitaret: “Redeat papismus, priusquam toleremus istas tam abominabiles blasphemias. Hic etenim, etsi sectarum numerus nullus, nulla tamen vel Trinitatem vel divinitatem Christi, vel ordinem inter homines civilis iustitiae, vel alia generis eiusdem offendit ne tantillum quidem. Hodie nullus offensionum modus.” Equidem non dubito, mi Capito, quin mecum sentias. Hactenus contendi cum quibusdam de viribus humanis, nec unquam persuaderi potui, quin homo foret peior ratione dum ea spiritu Dei destitueretur. Nunc vide, quam confirmet pravis istis rationis viribus erumpentibus! Ne diabolus quidem auderet palam intra homines tale quidpiam adserere! Sed audet ratio subtilis illa, qua coelum, mare, terra penetratur (ut aiunt). Valeant isti: mihi non erit cum eis societas, quoad ita senserint. Ego profecto, dum diligentius impietatem istam considero, totus in hoc sum, ut putem, divina providentia tam foedam colluviem isthic confluisse, ne mundus contaminaretur, nec sequeretur, quod modo dixi mihi non esse dubium, ni caveatur. Videbitis igitur, ut tam potente vi verbi agatis contra adversarios, ut nemo non sentiat, videat, intelligat, qui spiritus in vobis, quique in istis inhabitet et agitet. Tum etiam senatum confirmabitis, ne quid committat Christiano nomine indignum: consulat hic non sibi solum, sed toti reipublicae Christi. Nam audio quosdam inter senatores, qui tametsi nauseam contraxerunt de omnibus, de Schwenkfeldero tamen adeo magnifice loquuntur, et sentiunt, ut tantum non prae habeant viris veracibus. Ante omnia commendant, quod ex libris vestris tam docte tamque ingeniose contra vos disputavit, ut facile sit visum, quale nam ingenium in hoc viro delitescat; et, si vires suppeterent, non dubitant de vera ipsius victoria. Haec nobilis quidam vir nobis retulit: nolui ut vos laterent. Vale cum uxore, Bucero, omnibus. Basileae. XXVII Iunii anno XXXIII.

Os. Myconius tuus